

illa verba desumpta ex cit. cap. *Psalmista*, ibi : « Vide, ut quod ore cantas, corde credas, et quod corde credideris, operibus compleas. » (25. Dicitur autem secundum *canonistas*, quia secundum theologos, cum prima tonsura non sit ordo, non constat materia, et forma proprie dicta, et secundum ipsos abscissio capillorum stat loco materia, et loco formae stant verba illa a praelato tonsurante, et a tonsurando simul prolata : « Dominus pars hereditatis meae et calicis mei ; tu es qui restitues hereditatem meam mihi. »

(26. Prima tonsura secundum *canonistas* est ex institutione Christi, tradente apostolo Petro, in Ecclesia derivata. Colligitur ex concilio Triburiensi cap. 2, tom. VII *Concil.*, pag. 131, col. 2, in impressione Parisien., ubi sic legitur : « Si quis irreverens timorem Domini postponens in servos ejus savire presumpserit, quos ipse prae caeteris sibi segregavit, et coronae suae similitudinem tradente Apostolorum principe gestare fecit, sortemque illorum se constituit, sicut de iis scriptum est : *Ego hereditas eorum, et Dominus hereditas mea est.* Cujus rei etiam sit mentio in Epistola Aniceti Papae relata in cap. *Prohibete* 21, dist. 23; et S. Isidorus lib. II *De offic. Ecclesiae*, cap. 4, scribit hunc usum tonsurae in Ecclesiam evangelicam, et personas ecclesiasticas fuisse derivatum ex tonsura Nazarenorum, qui in lege veteri radebantur in signum cujusdam devotionis, et hoc ritu fuisse tonsos Ezechielem, ut dicitur c. 5, suae prophetiae, et Priscillam, Aquilam, et Paulum in *Actibus apostolorum*, c. XVIII, ut quemadmodum Nazareni in veteri lege divino cultui mancipati erine praeciso innovabantur, sic etiam clerici eorum ritu suam innovationem denotent. Unde ex hujusmodi antiquitate colligunt *canonistae*, primam tonsuram, non ex institutione Ecclesiae, sed divina traditione ad nos pervenisse; ac proinde sacramentum esse. Fagnan., *loc. cit.*, n. 84, et alii *canonistae* passim.

(27. Secundum theologos autem prima tonsura est ex institutione Ecclesiae, et occasionem hujus institutionis refert S. Germanus in *Theorica rer. Eccl.*, prout habetur in tom. IV *Bibliothecae antiquorum PP.*, quod cum divus Petrus Antiochiae Christum crucifixum maximo cum ardore praedicaret, quidam perversi hostes nominis Christiani in ignominiam ejusdem caput illi abraserunt, ut in signum opprobrii abradi solebant rei publici criminis; unde postea factum est ut illud, quod fuit factum in opprobrium, verteretur in gloriam, juxta illud S. Leonis Papae sermone in *Natali S. Laurentii*, ibi : « In honorem transierunt triumphi etiam instrumenta supplicii. » Et ideo Ecclesia tantam coepit habere venerationem huic mysteriosae tonsurae, ut, quamvis non desint aliae pie considerationes, ipsam receperit tanquam insigne proprium clericatus. Sic Petrus patriarcha Antiochenus in *Epistola ad Cerularium*, quam refert Baronius anno 1053, num. 41, et Berninus, tom. I *Histor. omnium haeresum*, fol. 24, his ver-

bis : « Nos coronam in capite gestamus pro veneratione principis Apostolorum Petri, super quem Dei Ecclesia est superaedificata. Quod enim impii illi ad contumeliam illius sancti excogitaverunt, hoc nos pie ad gloriam, et honorem ipsius facimus. »

(28. Ostiarius est « potestas, per quam ordinatus in ostiarium, potest recipere dignos, et excludere indignos ab Ecclesia, et eam custodire. » Sic in re communis. (29. Materia remota sunt claves Ecclesiae, materia proxima est traditio, et acceptatio dictarum clavium. Forma sunt verba prolata ab episcopo : « Sic age quasi rationem Deo redditurus pro his rebus, quae his clavibus recluduntur. » *Communis.* (30. Ostiarius fuit institutus a Christo inchoative, et denotative quando euentes et vendentes eiecit de templo; et completeive quando in ultima cena dedit discipulis suis primam potestatem sacerdotii.

(31. Lectoratus est « potestas, per quam ordinatus in lectorem potest legere lectiones, et prophetias. » Est in re communis. (32. Materia remota est liber sacras lectiones, et prophetias continens; materia proxima est ejusdem libri traditio, et acceptatio. Forma sunt verba illa ab episcopo prolata : « Accipe potestatem, et esto verbi Dei relator, etc. » *Communis.* (33. Lectoratus fuit institutus a Christo inchoative, et denotative, quando in medio seniorum librum Isaiae prophetiae aperuit, et completa lectione prophetiae, clausit, et dedit ministro, et completeive in ultima cena, quando dedit apostolis suis primam potestatem sacerdotii.

(34. Exorcistatus est « potestas, per quam ordinatus in exorcistam potest expellere diabolum, ne impediatur aliquem a sumptione Eucharistiae. » Est in re communis. (35. Materia remota est liber exorcismorum; materia proxima est ejusdem libri traditio, et acceptatio. Forma sunt verba illa ab episcopo prolata : « Accipe, et commenda memoriam, et habe potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos. » (36. Exorcistatus fuit institutus a Christo inchoative et denotative, quando tetigit aures surdi, et muti dicens : *Ephphetha, quod est adaperire*, et quando eiecit septem daemones de Maria Magdalenae, et completeive in d. ultima cena.

(37. Acolythatus est « potestas, per quam ordinatus in acolythum potest accendere lumina, et portare urceolos cum vino et aqua. » Sic in re communis. (38. Materia remota est duplex partialis, una est candelabrum cum cereo distincto, alia sunt urceoli vacui. (39. Materia proxima est horum traditio, et acceptatio. Forma etiam est duplex partialis, una sunt illa verba prolata ab episcopo : « Accipe ceterosarium cum cereo, ut scias te ad accendenda Ecclesiae lumina mancipatum in nomine Domini; » alia partialis forma sunt illa verba : « Accipe urceolos ad suggerendum vinum, et aquam in Eucharistiam sanguinis Christi in nomine Domini. » Acolythatus fuit institutus a Christo inchoative, et denotative;

quando dixit : *Ego sum lux mundi; qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae*; et completeive in d. ultima cena.

(40. Subdiaconatus est « potestas, per quam ordinatus in subdiaconum potest portare calicem cum vino ad altare, praeparare necessaria ad eucharistiam, et legere Epistolam. » Est in re communis. (41. Materia remota est duplex partialis, una est calix vacuus sine vino, et patena vacua sine hostia, alia est liber Epistolarum; materia proxima est horum traditio, et acceptatio. Forma etiam est duplex partialis, una sunt illa prima verba prolata ab episcopo : « Vide cujus ministerium tibi traditur; ideo te admoneo, ut ita te exhibeas, quod Deo placere possis; » alia sunt haec secunda verba : « Accipe librum Epistolarum, et habe potestatem legendi eas in ecclesia sancta Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini. » (42. Subdiaconatus fuit institutus a Christo, quando in ultima cena dedit Apostolis primo potestatem sacerdotii; et completeive, quando post cenam linteos se praecinxit, et missa aqua in pelvium pedes discipulorum lavit.

(43. Diaconatus est « potestas, per quam ordinatus in diaconum potest proxime sacerdoti in ministerio altaris assistere, et Evangelium legere. » Sic in re communis. (44. Materia remota est duplex partialis, una est manus dextera episcopi imponenda super caput ordinandi, alia est liber Evangeliorum. Proxima autem est duplex partialis, una est impositio ipsius manus dexterae facta ab episcopo supra caput ordinandi, alia est traditio, et acceptatio libri Evangeliorum. Forma autem est duplex partialis; una sunt prima illa verba prolata ab episcopo : « Accipe Spiritum sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo, et tentationibus ejus in nomine Domini; » alia sunt haec secunda verba : « Accipe potestatem legendi Evangelium in ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini. » (45. Diaconatus fuit institutus a Christo, quando in ultima cena corpus et sanguinem suum dispensavit discipulis, et completeive, quando post cenam suos apostolos dormientes excitavit dicens : *Vigilate, et orate.*

(46. Hic occurrendum venit vulgari objectioni, quae solet afferi contra assignatam materiam pro subdiaconatu et diaconatu; solet enim objici, quod liber Epistolarum et liber Evangeliorum non erant in primordio Ecclesiae, et tamen ordinabantur subdiaconi et diaconi, ergo nec liber Epistolarum est materia necessaria subdiaconatus, nec liber Evangeliorum materia necessaria diaconatus, quia, si talis materia esset nunc necessaria et essentialis pro dictis ordinibus, fuisset etiam necessaria, et essentialis tunc, cum materia necessaria et essentialis pro sacramento ordinis fuerit a Christo instituta, adeoque sit quoad substantiam invariabilis ab Ecclesia.

(47. Ast respondetur, quod licet in primordio Ecclesiae libri Epistolarum et Evan-

geliorum non essent materia necessaria, et essentialis dictorum ordinum, cum tunc necdum exstarent, tamen ex post fuerunt ab Ecclesia determinati pro materia necessaria. Nec in hoc potest dici Ecclesiam mutasse, et variasse materiam a Christo institutam, sed solum determinasse in specie materiam a Christo in genere duntaxat designatam; Christus enim instituit solum materiam in genere, id est positionem, seu traditionem alicujus rei sensibilis aptae ad exprimendum ordinem, qui confertur; at specialem ejus rei, seu signi sensibilis determinationem reliquit Ecclesiae, quae ad impositionem manuum, seu aliam materiam, qua utebantur apostoli in primordio Ecclesiae, potuit addere, et decernere librum Epistolarum pro materia subdiaconatus, et librum Evangeliorum pro materia diaconatus, utpote magis apte, et clare exprimentes potestatem, et officium dictorum respective ordinum. Sic Bellarminus, *De ordine*, cap. 9, in fine; Comitulus, lib. I *Respons. moral.*, qu. 52; card. de Lugo, disp. 2, *De sacrament.*, sect. 5; Gobat., tom. 1, tract. 7, num. 51; Sporer, *loc. cit.*, num. 18; Petr. Merchantius, in *Tribunal.*, tom. 1, tract. 9, tit. 5, q. 2; Diana, part. X, tract. 11, resolut. 65, cum S. Bonaventura, et aliis triginta ibi citatis, et sic plurimi alii.

(48. Presbyteratus est « potestas, per quam ordinatus in presbyterum potest consecrare corpus et sanguinem Christi, et remittere peccata fidelibus. » Est in re communis. (49. Materia remota est duplex partialis, una est calix cum vino, et patena cum hostia; alia sunt manus episcopi imponendae supra caput sacerdotis. Proxima etiam est duplex partialis, una est traditio, et acceptatio ipsius calicis cum vino, et patenae cum hostia; alia est ipsa ultima impositio manuum facta ab episcopo super caput sacerdotis. Forma etiam est duplex partialis, una sunt illa prima verba prolata ab episcopo : « Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, missasque celebrandi, tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini; » alia sunt verba haec : « Accipe Spiritum sanctum, quorum remisit peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt. » Presbyteratus in ordine ad conficiendum corpus et sanguinem Christi fuit institutus a Christo, quando in ultima cena panem, et vinum convertit in suum corpus et sanguinem dicens Apostolis : *Accipite, et comedite, hoc est corpus meum; hoc facite in meam commemorationem.* In ordine vero ad absolvendum fideles a peccatis, quando post Resurrectionem dixit : *Quorum remisit peccata, remittuntur eis*, etc.

(51. Episcopatus, qui ex dictis supra, n. 15, probabilius est ordo sacramentalis ab ordine presbyterali realiter, et adaequate distinctus secundum communem *canonistarum* et plurimorum theologorum, « Est potestas, per quam ordinatus in episcopum potest conferre sacramenta confirmationis et ordinis; » id est potest conficere sacramentum, chrisma et oleum sanctum, etc., et or-

dinare sacerdotes et episcopos. Est in re communis. Materia remota est duplex partialis, una est liber Evangeliorum imponendus super cervicem, et scapulas consecrandi, alia sunt manus consecratoris, et duorum assistentium episcoporum imponendæ super caput consecrandi. Proxima etiam est duplex partialis, una est ipsa libri Evangeliorum impositio super cervicem, et scapulas consecrandi, alia est ipsa impositio manuum consecratoris, et duorum episcoporum assistentium super caput consecrandi. Forma sunt illa verba, quæ dum ipsum electum episcopum consecrant, proferunt consecrator, et duo episcopi assistentes, videlicet: *Accipe Spiritum*, etc. Fagnan, l. i *Decretal.*, in cap. *Requisivit* 1, De ordinatis ab episcopo qui renuntiavit episcopatu, n. 59, et alii. (53. Episcopatus probabiliter institutus fuit a Christo, quando *Joan.* xxi, 18, dixit Petro: *Pasce oves meas*. Fuit enim Petrus primus episcopus a Domino institutus, et quidem episcopus universalis Ecclesiæ per dicta verba: *Pasce oves meas*, ut scribit Fagnanus, *loc. cit.*, n. 85, adducens cap. *Considerandum* 53, et cap. *Fidelior factus* 54, dist. 50, cap. *Significasti* 4, De electione, et *Glossam* in cap. *In Novo Testamento* 2; dist. 21; Aversa tamen, quæst. 2, sect. 10, probabiliter dicit institutum fuisse cum sacerdotio. *Vide* La Croix, lib. vi, part. ii, n. 2207, ubi concludit, quod dicendum videtur, ordines alios, utpote tendentes ad sacerdotium, esse institutos, quando data est prima potestas sacerdotii (160).

(54. Contactum realem, et physicum materiæ remotæ cujusque respective ordinis esse necessarium necessitate præcepti ecclesiastici, adeo ut sine dubio peccaret mortaliter, qui advertenter, et deliberate illum omitteret; est certissima et communissima omnium doctorum tam canonistarum quam theologorum sententia, quia graviter delinqueret contra præceptum, ac morem universalis Ecclesiæ, et rubricas Pontificales id præscribentes et redderet, ac susciperet sacramentum dubium.

(55. An autem contactus realis, et physicus sit etiam necessarius ad valorem, et essentiam ordinis, adeo ut sine ipso sit invalida ordinatio, et non recipiatur sacramentum? variant doctores. Negativam sententiam tuentur Albertus Magnus, n. 4, dist. 24, art. 34, ad 2; Vasq., disp. 248, n. 6, c. 2; Henric., lib. i, cap. 9, n. 11; Victoria, Armilla, Zambran., et alii citati, et secuti a Layman, lib. v, tract. 9, cap. 5, n. 4; Reinffenstuel, *Theolog. moral.*, dist. 12, tr. 14, q. 5, n. 68; Sporer., tom. III, part. i, cap. 5, sect. 3, n. 35; Filiucius, Reginaldus, Dicastillus, et alii ab ipso allegati sub n. 34; Diana, part. iii, tract. 3, resolut. 185, cum aliis ibi citatis, Molfesius, tract. 2, cap.

(160) E. R. Ea, quæ de ordinum hierarchicorum materia, et forma edisserit noster auctor, jam pene antiquata habentur a nostri temporis theologis. Plures viri eruditi ostenderunt eam in manuum impositione esse sitam, ut Morinus, Juvenin, Tournely, et alii recentiores, qui hac de re scripserunt. Con-

n. 42, et alii. Imo aliqui ex ipsis, et signanter Vasquez, Layman, Gobat et Sporer *loci citatis* volunt, nullum nequidem contactum requiri ad essentiam, et valorem ordinis.

(56. At vero affirmativam, quam nos sequimur, sententiam, nempe contactum physicum, et realem, saltem mediatum, requiri ad essentiam, et valorem ordinis, et neque sufficere contactum moralem, defendunt S. Thom., in 4, dist. 24, q., art. 1, qu. 3, ad 3, expresse dicens: « Tamen ipsa verba formæ videntur ostendere, quod tactus materiæ sit de essentia sacramenti, quia dicitur: *Accipe hoc, vel illud.* » Pontas, tom. II, verb. *Ordines*, cas. 13, 14 et 15; Paludanus, q. 1, art. 1, in fine; Sylvester, verb. *Ordo*, 2, q. 5; Angelus, *ib.*, 1, § 7; Cajetanus, tom. I *Opuscul.*, tract. 26; Vigerus, in *Institut. theolog.*, cap. 16, § 16; Mastrius, *Theolog. moral.*, disp. 19, num. 26, cum aliis ibi citatis, Felix Potestas, tom. III, part. i, num. 136; Matthæuc., *Cautela confessarii*, lib. iv, cap. 4, n. 13; Coninch., disp. 20, dub. 7, num. 7; Valentia, tom. IV, disp. 9, q. 1, punct. 5; Busembaum, lib. vi, part. ii, cap. 2, num. 2; La Croix, *ibid.*, n. 2148, cum aliis ibi citatis; Heuno, tom. II, tract. 7, disp. unic. *De sacrament. ordinis*, q. 4, art. 5, concl. 1; Bonacina, *De sacramento ordinis*, disp. 8, qu. unic., part. iii, num. 11, testans de communi contra supra citatos. Et ratio est, quia juxta communem, et usitatam significationem verborum formæ *Accipe*, etc., requiritur, ut is, qui dicitur accipere, ad minimum tangat rem oblatam; tum quia Pontificale Romanum in rubric. *De episcop. consecrante*, sic expresse habet: « Moneat ordinandos ut instrumenta in quibus character imprimitur tangant; » ut advertit Fagnanus, lib. i *Decretal.*, in c. *Cum venisset* 1, De sacra unctione, n. 34, quod ex perpetua Ecclesiæ praxi ab omnibus episcopis observatur sollicite requiringdo, ut ab omnibus ordinandis, vere, physice, et realiter tangatur materia tradita, quæ praxis per traditionem ex Christi institutione profecta esse videtur. Tum etiam, quia in quolibet sacramento habente materiam, necesse est, ut suscipiens contingat illam, sicuti patet in baptismo, confirmatione et aliis, adeoque, etc.

(57. Fuit dictum notanter requiri contactum physicum saltem mediatum, quia certum est non exigi contactum immediatum cujusque materiæ ad essentiam sacramenti requisitæ; presbyterandi enim nunquam tangant immediate vinum contentum in calice, quod tamen spectat ad materiam essentialiam sacramenti. Hinc, si quis claves, urceolos, librum Epistolarum et Evangeliorum, calicem, etc., tangeret manu obvoluta chirotheca, strophiole, superpelliceo, non

fer inter cæteros Hallier, *De sacris electionibus et ordinationibus*, part. ii, sect. 2, cap. 2. Etsi ad praxim quod attinet, nihil immutandum sit ex iis, quæ a proprio uniuscujusque Ecclesiæ ritu præscribuntur.

ideo esset irritus ordo, quia communissimo, et rectissime dicitur tangere, vel palpere hominem qui eum apprehendit manu, ut supra, obvoluta. Sic doctores communiter, tradentes insaper, non esse necesse ad valorem sacramenti, quod materia tangatur utraque manu, vel sufficere, si tangatur una tantum manu, vel uno tantum digito, quia sic adhuc verificatur tactus, et quælibet res sufficienter est et dicitur tacta. Imo etiam, si solis manus unguibus, quia ipsi pars digiti censentur, ut tradunt in terminis card. de Lugo, *Resolut. moral.*, tit. 1, dub. 1, num. 8; Sporer, *loc. cit.*, num. 38; Gobat, *loc. cit.*, n. 62; La Croix, *loc. cit.*, num. 2155, et alii, quia, si solis unguibus quis laceret vultum alterius, vere dicitur eum tetigisse. Nulla enim lex exigit ut utraque manu tangatur materia. Unde non debemus dicere, quod id requiratur ad valorem sacramenti, cum sine ipso utriusque manus contactu salvetur forma sacramenti; et auctoritas Scripturæ vel Ecclesiæ nos non cogat ad ipsum requiringdo; in praxi tamen tenendum est, quod materia tangenda sit nuda altera saltem manu. Insuper advertunt et tradunt Filiucius, tract. 9, num. 29; Busembaum, *loc. cit.*, num. 2; La Croix, *loc. cit.*, n. 2155, et alii, contactum faciendum esse utraque manu ex præcepto ad scrupulum vitandum.

(58. Etiam notanter fuit dictum, non sufficere contactum moralem, videlicet si quis manum extendat, et appropinquet materiæ, et non tangat illam, seu inclinatione capituli vel alio æquivalenti signo significet se materiam oblatam ab episcopo acceptare, quia cum sententia nostra requirens ad valorem sacramenti contactum physicum, saltem mediatum, sit tutior sententia contraria docente sufficere contactum moralem, non videtur posse tute illam sequi post damnatam ab Innocentio XI propositionem primam, quæ dicebat, licitum esse in conferendis sacramentis sequi sententiam probabilem, relicta tutiori, etiam quando agitur de valore sacramenti. Unde ut refert Mastrius, dis. 19 *Theolog. mor.*, n. 26. Clemens VIII aliquos sic ordinatos ab episcopo Sagiensi sub conditione reordinari præcipit. Quod et docet Pontas, verb. *Ordines*, cas. 13, 14, 15, per text. in cap. *Pastoralis* 1, De sacrament. non iterand., ubi Innocentius III statuit, quod « caute supplendum (est), quod incaute fuerat prætermisum; » et in cap. *Presbyter* 3, eod. tit., ubi Gregorius IX decrevit, quod « statuto tempore ad hujusmodi ordines conferendos caute supplendum (est) quod per errorem exstitit prætermisum. »

(59. Nec valet objicere, quod ex dictis duabus decretalibus colligitur potius, quod contactus physicus non sit de essentia sacramenti, quia licet in ordinatione subdiaconi fuerit ommissa impositio manus, ut dicitur in cit. cap. *Pastoralis*, et etiam ut dicitur in cit. cap. *Presbyter*, fuerit ommissa in ordinatione presbyteri et diaconi dicta manus impositio, quæ, ut ibi, fit tactu cer-

porali, id est physico, adhuc in utroque loco statuitur, quod non sit sacramentum iterandum, sed solum esse supplendum quod incaute exstitit prætermisum; quod clare indicat contactum physicum non requiri ad essentiam sacramenti, aliter si ita requiretetur, fuisset iterandum sacramentum sine ipso collatum, utpote irritum, et invalidum. Non valet, inquam, quia ibi Pontifex accepit verbum *itero* in propria sua significatione, quatenus idem sonat, ac iterum conferre idem specie sacramentum jam semel rite collatum. Non autem iterum confertur, quod nunquam rite fuit collatum, juxta illud cap. *Veniens* 3, De presbytero non baptizato ibi: « Non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum, » et illud cap. *Solemnitates* 16, De consecr., dist. 5, ibi: « Non monstratur esse iteratum, quod nescitur esse factum, » et illud cap. *Si nulla* 113, De consecr., dist. 4, ibi: « Quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, ut videatur iteratum. » Et non dicitur actum, cum aliquid superest ad agendum, ut dicit expresse *Glossa* in cit. c. *Pastoralis*, verb. *Permitti*, per text. l. penult. cod. *ad Syllanum*, cap. *Illud* 15, et cap. *Nihil* 16, caus. 7, quæst. 1, etiamsi id quod superest ad agendum, seu supplendum, dubitetur esse de substantia, quia generaliter, quotiescunque dubitatur, an aliquid, quod omisum fuerit, sit de substantia ordinis necne, et tamen expressum est in jure, ut fieri debeat, æstimari debet de substantia, et tota ordinatio est repetenda, saltem sub conditione; cap. *Presbyteri* 2; cap. *Chorepiscopi* 5, dist. 68; cap. *Nihil* 16, caus. 17, qu. 1; cap. unic. De clerico per saltum promoti, et cap. *De quibus* 2, De baptismo, cum similibus. Sic expresse Fagnan., in cap. *Cum venisset* 1, De sacra unctione, n. 54, cum Innocentio, Raymundo, Gotofred. Hostiens. Friburg. Arenidiacon. Sanc. Antonin. Turrecremat. Angelo, Armilla, Pisanella, Joann. Andrea, Bulrio, Cardinal. ibidem ab ipso allegatis, et ipso teste, omnes alii in d. cap. *Cum venisset*. Unde dicendum est, Pontifices in dictis decretalibus cap. *Pastoralis*, et cap. *Presbyter*, solum velle nihil esse iterandum quoad ritus, et ceremonias, sed caute, id est secrete, et sine solemnitate ad vitandum scandalum, supplendum esse quod defuit, nempe essentialia sacramenti, quod non dicitur iterari, per jura supra adducta, ut etiam explicat Juvenin, dissert. 9, quæst. 3, cap. 2, in respons. ad 4 objectionem, dicens, laudatos Pontifices ideo statuere ordinationem in proposito casu non debere iterari, quod supponat peractam non fuisse. Non enim dicitur iterari, quod ne semel quidem peractum est.

(60. Neque valet instare, quod Pontifex in cit. cap. *Pastoralis* pariformiter loquitur de manus impositione in ordinatione subdiaconi ommissa, et de supplendo defectu balsami in confirmatione non adhibiti, adeoque cum balsamum non sit de essentia materiæ confirmationis, neque manuum impositio, et contactus physicus cujusvis respective mate-